

Sub vestra potestate sunt illi raptores ideoque sub vestra censura et zelo iustitię idem sint raptarum rerum redditores. Vos autem Christi gratia in omnibus divites faciat et columnam in gloriam ecclesiae suae per multa secula conservet.

V.

Domino reverentissimo multimodae pietatis insignibus redimito Franconi¹ episcopo ego ultimus servorum Otveus presbiter aeternam mentis et corporis sospitatem.

Vestrae pietati clarescat, quod in hoc quadragesimali tempore pro vestra specialiter salute ac desiderabili per omnia prosperitate XX psalteria ac XXX missas decantavi, sicut decet nos semper militare pro vobis in Domino, ut Deus ac dominus noster in gloriam suae ecclesiae vos gloriose conservet atque exaltet.

VI.

Viro venerabili atque amantissimo magistro Amuñ² ego Otveus vester in Domino fidelis amicus gloriam in Christo et honorem.

Vestrae prestantiae innotescat, quod secundum nostrae facultatis modulum pro vestra salute, incolomitate atque prosperitate omnibus diebus et noctibus semper ad Dominum exoremus, quatinus vos per singulos dies magis magisque in omnium virtutum specimine atque in splendoribus sanctorum coram Deo et hominibus coruscetis. Funiculus triplex non facile rumpitur³ et frater fratrem adiuvans exaltabitur. Idcirco vestrae caritatis viscera eflagito, quatinus nocturnale antifonarium correctum atque omni falsitate expurgatum nobis vestra benignitas accomodare⁴ dignetur, nosque statuto tempore, prout vestra industria diffiniverit⁵, ipsum codicem ad vos dirigemus. Qui maiora nobis dedistis, quod minus est, non denegate. Valete in Domino, valeat per vos caritas.

1) 'frani' Hs. 2) 'Amulberto'? 3) Eccle. 4, 12. 4) 'accomodare' verb. 'modare' Hs. 5) 'diffinuerit' Hs.